The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium, Epistola ad Leandrum (fol.52va)

1. Quia plerumque nauem incaute religatam etiam de sinu tutissimo littoris unda excutit cum tempestas excrescit. repente me sub pretextu ecclesiastici ordinis in causarum secularium pelago reppereri. et quietem monasterii. quia habendo non fortiter tenui quam stricte tenenda fuerit perdendo cognoui.

   Quia enim plerumque nauem incaute religatam, etiam de sinu tutissimi litoris unda excutit, cum tempestas excrescit, repente me sub pretextu ecclesiastici ordinis in causarum saecularium pelago repperi et quietem monasterii, qui habendo non fortiter tenui, quam stricte tenenda fuerit, perdendo cognoui.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, Ep. ad Leandrum, 1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.1-2, ll.15-20).

2. Quisquis de deo loquitur curet necesse est ut quicquid audiencium mores instruit rimetur et hunc rectum loquendi ordinem deputet si cum oportunitas edificationis exigit ab eo se quod loqui ceperat utiliter diriuet.

   Sed tamen quisquis de Deo loquitur, curet necesse est, ut quicquid audientium mores instruit rimetur, et hunc rectum loquendi ordinem deputet, si cum opportunitas aedificationis exigit, ab eo se, quod loqui coeperat, utiliter deriuet.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, Ep. ad Leandrum, 2 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.3-4, ll.92-96).

3. Quo malis presentibus durius deprimor eo de eterna certius presumptione respiro.

   Interque haec dum sollicitus penso, quia scriptura teste: *Omnis filius, qui a Deo recipitur, flagellatur*, quo malis praesentibus durius deprimor, eo de aeterna certius praesumptione respiro.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, Ep. ad Leandrum, 5 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.6, ll.192-195). cf. Hebr. 12:6